Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Ambrosii Calepini Dictionarivm Vndecim Lingvarvm

Calepino, Ambrogio

Basileae, 1616

C ante T

urn:nbn:de:bsz:31-107476

Visual Library

Crocyllus, Vir Athenienſis, cujus nonnunquam Plutarch. meminit.

Crocylus, Nomen paſtoris apud Theocritum.

Crœſus, [κροῖσος. Ger. Ein König in Lydia ſo überſchwencklich reich geweſen iſt.] Rex Lydorum fuit, Alyattæ filius, omniũ quos hominum memoria celebrat, ditiſſimus: unde etiam hodie, quũ immenſas opes ſignificare volumus, Crœſi divitias dicimus. Hic quum ſe omnium mortalium fœliciſſimum crederet, monitus eſt à Solone, Neminem ante cineres beatum dicendum: quòd quoad vivimus, periculum ſit, ne inſtabilis hujus mundi fœlicitas dolore aliquo contaminetur. Quam Solonis ſententiam veriſſimam eſſe, Crœſi calamitas poſtea declaravit. Victus enim à Cyro, pyræq; impoſitus, tandem ſalubre Solonis conſilium agnovit, ejusque nomen ſæpiùs inclamavit. Vnde admiratus Cyrus, quiſnam eſſet deorum, hominumque, quem ille in extremo periculo ſolum invocaret: remque totam edoctus, humanæ viciſſitudinis memor, Crœſum ab incendio liberavit, ſummoque ſemper apud ſe in honore habuit. Autor Plutarchus in vita Solonis, & Herod. lib. 1.

Crŏmmyŏn, onis, κρομμυών, Vrbs Palæſtinæ, non procul ab Aſcalone. ¶ Item alia in Libya.

Crommyonius, a, um, Gentile, κρομμυώνιος. Autor Steph.

Crŏmmyŏnneſus, κρομμυώνησος, Inſula eſt Aſiæ adjacens è regione Smyrnæ, cujus meminit Plin. lib. 5. cap. 31.

Cromnă, κρῶμνα, Paphlagoniæ oppidum eſt, apud Strabonẽ lib. 12. De hoc Valerius Flacc. lib. 5: Mox etiam Cromnã atq; jugo pallente Cytoron. Steph. ait, Amaſtrin poſtea dictam eſſe, & Cromnã, κρῶμναν vocat. vide Amaſtris apud Steph. Idẽ in κ: Cromnam, *inquit*, alii Amaſtrin, alii Amaſtridis regiũculam faciunt: gentile Cromnites, Cromnæus, κρωμναῖος. Eſt & Peloponneſi urbs, quæ in maſculini & fœminini generis item ſingulari & plurali numero profertur, à Cromno Lycaonis filio.

Cromyuſa, κρομμυοῦσα, inſula Iberiæ, Steph.

Crŏnĭă, orum, [κρόνια. Ger. Feſttag ſo man dem *Saturno* zu ehren begieng zu Rom auff den 19. tag Wolffmonats.] Saturni feſta erãt, quæ celebrabantur Romæ decimoquarto Calendas Ianuarias ita dicta ἀπὸ τοῦ κρόνου: hoc eſt, à Saturno: unde & Saturnalia à Latinis appellantur. Horum Macrobius latè meminit, citata etiam antiqui poëtæ autoritate, apud quem legerat: Maxima pars Graiũm Saturno, & maximæ Athenæ Conficiunt ſacra, quæ Cronia eſſe iterantur ab illis.

Crŏnĭŏn pelagus, κρόνιον πέλαγος, à nonnullis appellatum fuit mare concretum, teſte Plin. lib. 4. cap. 16. Apollonius tamen in Argonauticis, κρονίην ἅλα: hoc eſt, Cronion mare, pro Adriatico poſuit (ſi interpreti ejus credimus) eò quòd Italiam alluat, quam olim Saturnum volunt tenuiſſe.

Cropia, κρωπία, vel κρωπιάς, vel κρῶπις, Vicus in tribu Leontide, Steph.

Cros, κρῶς, urbs Aegypti, civis Croites, & præfectura Croitis. Eſt Crois, κρωΐς, Arabum civitas, Steph.

Croſſă, κρώσσα, Vrbs juxta Pontum: gentile Croſſæus. Steph.

Crŏto, ſive Croton, κρότων, Vulgò *Crotone*, Vrbs fuit maritima in ea parte Italiæ quæ olim Magna Græcia dicta eſt, non procul à Tarento, tãta ſalubritate aëris, ut inde ortum ſit proverbium: Crotone ſalubrius, κρότωνος ὑγιέστερον. De re nequaquam noxia, ſed undequaque ſalutifera. Strabo lib. Geogr. 6. ¶ Nihil aliæ civitates ad Crotonem, ματαιότατα τἄλλα πρὸς κρότωνα ἄστεα: id eſt, ſunt reliqua præ Crotone frivola oppida. Theocriti interpres meminit hujus proverbii. Licebit accommodare ad rem aut hominẽ uſq; adeò præcellentem, ut reliqui cum hoc collati, nihil eſſe videantur. Vrbs hæc à Diomede condita creditur, cum pleriſq; aliis, in eodem littore.

Crŏtonĭātæ, hujus incolæ dicti ſunt, eo nomine celeberrimi, quòd maximam in exercendis corporibus curam ponerent. Vnde etiam frequentiſſimè ex ſacris certaminibus coronas retulerunt. Inter hos fuit Milo ille Croteniates, qui integrum uno die bovem fertur abſumpſiſſe. Hinc locus factus proverbio: Crotoniatarum poſtremus, reliquorum Græcorum primus eſt, κροτωνιατῶν ὁ ἔσχατος, πρῶτος τῶν ἄλλων ἑλλήνων. Licebit uti quum genus aliquod tãto intervallo præcedere dicemus, ut qui in hoc ſit vel infimus, in illo poſſit vel primus videri. Hinc Crotoniata, gentile nomen, & Crotonius, Crotonias, Steph. Crotonẽ, inſignem Italiæ urbem eſſe ſcribit juxta Rhegium & aliam Thaſciæ metropolim, & montem qui Axium flumen effundit. κρότων etiam eſt animalculum canibus infeſtum, Latini Ricinum vocant, quo quidem ſignificato ultimam acuit, Steph. Vide SYRACVSAE.

Crŏtŏpus, pen. prod. Rex Argivorum fuit, pater Pſamathes, quæ ab Apolline compreſſa Linum peperit: quem quum inter vepres abſcondiſſet, canes extractum dilacerarunt.

Crŏtŏpĭădes, patronymicum maſcul. Ovid. in Ibin: Quiq; Crotopiadem diripuere Linum.

Cruni, orum, κρουνοὶ Stephano, Thraciæ urbs eſt maritima, teſte Plin. lib. 4. cap. 11, quæ poſtea Dionyſiopolis dicta eſt: nomen habet à fontium ſcaturiginibus quibus abundat: Eas enim Græci κρουνοὺς appellant.

Cruſis, κρουσίς, pars Mygdoniæ, à Cruſo Mygdonis filio: inde κρουσαῖος, & Cruſis adject. fœm. Steph.

Cruſtumerium, κρουστομερία Stephano, Oppidum in Latio, Albanorum colonia: cujus meminit Plin. li. 3. cap. 5. Virg. lib. 7. Aen. Ardea, Cruſtumeriq; & turrigeræ Antemnæ.

Cruſtuminum, Oppidum Tuſciæ juxta Vejos: à quo Cruſtumini dicti, & Cruſtumina tribus, & Cruſtumina pyra, & Cruſtuminum vinum laudatiſſimum.

Cruſtumium, apud Lucan. lib. 2, fluvius eſt ex Apennino ortum trahens, Ariminumq; prætereſlabens. In lævum (*inquit*) cecidere latus veloxq; Metaurus, Cruſtuminumq; rapax, & junctus Sapis Eſiauro. Meminit hujus fluvii & Plin. lib. 3. cap. 15. Vulgò *Conciario de Romanna*.

Crya, æ, κρύα Stephano, Vrbs Lyciæ.

Cryaſſus, κρυασσός, Vrbs Cariæ, ita dicta à Cryaſſo Caretis filio, Stephanus.

C ante T.

Ctĕătus, pen. corr. κτέατος, Pater Amphimachi, unus ex quatuor ducibus Epeorum, qui quadraginta navibus ad Trojanam expeditionem ſunt profecti: ut teſtatur Homerus in Catal. navium.

Ctēmēne, κτημένη, Vrbs Theſſaliæ, à Peleo Phœnici donata, cujus cives Homerus Dolopes vocat, & Ctemenẽ Dolopiadem. Gentile Ctemenius, & Ctemenæus. Apollonius per jota κτιμένη ſcribit, quod magis placet.

Cteſĭās, κτησίας, Cteſiachi, vel (ut alii malunt) Cteſiochi filius, Medicus fuit Cnidius, qui Artaxerxem cognomento Meliorem curavit, & hiſtoriam Perſicam xxx. libris conſcripſit. Autor Suidas.

Cteſĭphon, pen. corr. [κτησιφῶν. Ger. Ein herrlicher Werckmeiſter ſo den ſchönen Tempel *Dianæ* zu Epheſo ſoll gebawen haben.] Nomen architecti, qui templum Dianæ Epheſiæ traditur extruxiſſe, opus mirabile, & toto orbe celebratum: quod poſtea ab Heroſtrato incenſum fuit, hac tantùm de cauſa, ut facinore illo nominis immortalitatem ſibi compararet. ¶ Fuit & Cteſiphon locus Parthorum. Strabo lib. 15: Prope Seleuciam vicus maximus eſt nomine & re Cteſiphon, in quo Parthorum reges hyemabant. Hic vicus civitatis potentiam & magnitudinem habebat, adeò ut Parthorum multitudinem & apparatum omnem reciperet, ac venalia, neceſſariaq; artificia illis ſuppeditaret. Quin & Cteſiphontẽ Babylonici regni caput fuiſſe Plin. lib. 6 ſcribit. ¶ Cteſiphon etiam Athenienſis civis nobiliſſimus, qui Athenienſibus autor fuit decreti, quo Demoſthenem aurea corona in theatro coronandum decreverunt. Ob quam ſententiam ab Aeſchine, qui contrarias Demoſtheni in Republica partes fovebat, tanquam pernicioſi decreti autor accuſatus, elegantiſſima illa Demoſthenis oratione, quam περὶ στεφάνου inſcripſit, defenſus eſt. Vide Cic. lib. de Optimo genere oratorum.

Cteſippus, κτήσιππος, Chabriæ filius, quem Phocion, mortuo Chabria amico, diligenter, ſingulariq; humanitate excepit, quò impuros adoleſcentis mores componeret: cujus tamen cùm duto, tùm minimè liberali ingenio nuſquã adduci potuit, ut curam & laborẽ in illo inſtituendo dimitteret: cujus ineptias non modò pertulit patienter, verumetiam ſtudioſè tegebat. Quanquam ſemel ajunt, Phocionis conſtantiam importunitate leviſſimi hominis ſuperatam. Nam quum ille imperatorium quoddam munus ſtudio accuratiore obiret, Cteſippus, ut erat futilis, delirusq;, graviſſimũ, peritiſſimumq; Imperatorem cœpit fatuis quibuſdam interrogatiũculis obtundere, atque illum monens, docénsve importuniùs perurgere. Tum ſtomachatum Phocionem dixiſſe fama eſt: O' Chabria, Chabria, cumulatam tibi prò amore noſtro gratiam nũc perſolvo, qui nati tui deliramenta ſuſtineo. Autor Plutarchus in vita Phocionis.

C ante V.

Cuma, κύμη, Vrbs Aeolidis ex adverſo Lesbi ſita, Aeolicarum urbium maxima & optima, & ferè metropolis cæterarum civitatum, quæ numero erant circiter xxx. Ab hac civitate cognominata eſt Sibylla Cumea, κυμαία, quam aliqui à vicinitate loci Erythream appellarunt: quæ profecta in Italiam, multa de Romanis vaticinata eſt. Item patria fuit Ephori, viri doctrina clari, & Iſocrati Oratori familiaris, prætereà & Heſiodi Poëtæ, qui patrem ſuum, relicta Aeolica Cuma, in Bœotiam migraſſe dicit. Plutarch. de eo in Sympoſiis multa, & Suidas. Stephan. ¶ Cuma Aeolica ante Lesbum ſita nomen habet à Cyme Amazone: quare & Amazonium dicta eſt: gentile κυμαῖος (κυμανὸς autem ab urbe Italiæ fit.) Hæc & Lesbus ſtoliditatis notantur. Eſt & alia Phriconitis dicta, φρικωνίς. Quarta Elidis. Quinta Eubœæ & Pamphyliæ. Item inſula prope Siciliam, Stephan. Hujus oppidi incolæ, Cumæi, κυμαῖοι, dicti ſunt, qui